UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Rev: Et Eximii Patris P. Francisci Aloysii Kamperger E Societate Jesu Ss: Theologiæ Doctoris ejusdémque olim in Carolo-Ferdinandæa Universitate Pragensi Professoris Publici & Ordinarij Dein ...

**Kamperger, Franz Alois**

**Eystadii, 1705**

Articulus III. An ex Fide sit certum dari Angelos?

urn:nbn:de:hbz:466:1-84291

Visual Library

nimirum primo momento temporis, de quo dicitur: *In principio creavit DEUS Cælum & terram.* Fundamentum sumitur primò ex Script. *Qui vivit in æternum creavit omnia simul.* Eccles. 18. nimirum, vel in seipsis, ut Cælum, & elementa, vel in radice, ut res corporeas reliquas, quæ primis sex diebus ex elementis factæ sunt: *simul*, inquam, id est, eodem temporis momento, ut exponunt Greg. 32. Moral. c. 9. & D. Thomas 1. part. Quæst. 74. art. 2. ad. 2. Quò etiam spectat illud: *In principio creavit DEUS Cælum & terram.* Quod verum non esset, si aliquid priùs creatum esset, cùm sit ibi sermo de principio temporis, & durationis notæ. 2. Ex Lateran. cap. Firmiter de sum. Trinit. *Qui* (scilicet DEUS) *suâ omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramq; de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, & deinde humanam.* 3. Ex PP. nominatim August. apud Suarez, Vasquez, Tanner. Nisi fortassis illos intelligas de prioritate dignitatis, ut intellexisse videtur D. Thomas Quæst. 3. de Pot. art. 8. ad 1. & 2., Dist. 2. Quæst. 1. art. 3. ad 1. 4. Ex ratione: quia aliàs Angeli fuissent creati imperfecti: sunt enim pars Universi; pars autem existens extra suum totum est incompleta, & imperfecta. *Resp. 3.* Angelos verisimiliùs creatos esse in suprema parte Cæli siderei, Empyreo proxima. Ratio est 1. Quia, cùm Angeli possint toti mundo corporeo visibili, & mobili, congruebat eos creari in loco ejus supremo. 2. Quia saltem secundariò creati sunt propter motum illorum Cælorum, tanquam propter operationem sibi connaturalem, & propriam. 3. Quia hic locus videtur Angelis proportionatissimus: nam sicut Cælum sidereum est secundùm substantiã suam incorruptibile, secundùm locum verò mobile, ita etiam Angeli. 4. Quia Angeli neque creati sunt in Empyreo, neque in Cælo aëreo; ergo in sidereo. Consequentiam admittunt omnes; supponunt enim creatos esse in Cælo aliquo; non datur autem Cælum, nisi triplex: Empyreum, sidereum, aëreum. *Anteced. probat.* de empyreo. Quia Angeli peccârunt in loco, in quo creati sunt; statim enim peccârunt secundo creationis instanti; atqui credibile non est peccâsse in empyreo, quò nihil coinquinatum ingredi debeat; ergo, &c. 2. Quia nec primus homo creatus fuit in Paradiso terrestri, sed eò translatus, ut patet ex Gen. 2. v. 15. ergo neque Angelus in Paradiso Cælesti, sive empyreo. 3. Quia aliàs Lucifer non affectâsset eò conscendere, si ibi conditus fuisset; desideravit autem juxta illud Is. 14. *In Cælum conscendam, &c.* nimirum empyreum, ut exponit Hieronymus, ubi solium erat Altissimi, cujus similis esse appetebat; ergo. *Probatur idem Anteced.* de Cælo aëreo contra Rupertum: quia Angeli post peccatum deturbati sunt de Cælo, in quo conditi erant, Apoc. 12. v. 18. non sunt autem deturbati ex aëre, in quo etiamnùm dominantur; ergo 2. Quia magis congruebat Spiritus incorruptibiles creati in loco incorruptibili, quàm in aëre corruptioni obnoxio. 3. Quia 1. Coloss. v. 16. dicuntur, quædam *condita in cælis* videlicet Angeli, non solet autem Scriptura aërem vocare pluraliter *Cælos*, sed *Cælum*; ergo. Et ita tenet Innocentius III. in Psal. pœnit. ubi ait Angelos pecâsse in Cælis, in quibus sunt sidera, unde etiam hos probabiliter innovandos, & purificandos. Hinc etiam fortè Angeli in Scriptura vocantur *astra, & stellæ.* Job. 38. Isa. 14. Apoc. 12. *Resp. 4.* Angelos omnes immediatè productos à DEO. Ratio est: quia Angeli creantur, nullus autem Angelus potest creare, juxta illud Damasceni lib. 2. de Fide c. 2. *Quicunque dixerit Angelum aliquid creare, anathema sit.* 2. Quia Substantiæ incorruptibiles (quales sunt Angeli ex infra dicendis) non sunt productivæ alterius substantiæ sibi similis. 3. Quia, si unus Angelus est productus ab altero, utique inferiores à superioribus, & consequenter omnes ab uno summo, sive Lucifero; atqui hoc non: cùm enim effectus conservetur à causa, à qua producitur; sequeretur omnes Angelos defacto conservari à Lucifero, quod est absurdum.

## Artic. III. *An ex Fide certum sit dari Angelos?*

*Resp. Esse certum. Patet.* ex innumeris Scripturæ locis: unde etiam Augustinus in Psal. 103. *Esse Angelos novimus ex Fide, & multis apparuisse scriptum legimus, & tenemus, nec inde nobis dubitare fas est.* Ubi tamen notandum, *Angeli*, nomine vel intelligi posse. *Substantias intellectuales, superiores homine*; vel *Substantias simplices, & completas, omnino incorporeas.* In primo sensu certum est de Fide, dari Angelos, non idem in altero. Ratio primi est: quia Scriptura apertè tribuit Angelis operationes soli naturæ Intelligenti proprias, ut sunt: adoratio DEI Psal. 96. Custodia hominum. Psal. 90. Illuminatio eorundem, & directio. Zach. 1. transgressio legis divinæ, seu peccatum, demeritum, & pœna. 2. Petr. 2. &c. similiter ijs tribuit excellentiam humanâ majorem, ut 2. Pet. 2. ubi dicuntur mali *Angeli fortitudine & virtute homine majores.* Et Job 41. post multa additur de Satana: *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei.* & Ep. 6. v. 12. *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, &c.* ubi potestas

Dæmonum extollitur super omnem potestatem rerum, constantium carne, & sanguine; adeóque & super potestatem humanam. Denique Ps. 8. de homine dicitur: *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis*, nimirum quoad naturam, & perfectionem substantialem, ut patet ex Paulo Heb. 2. ubi ex hoc ipso loco ostendit, Christum ratione humanæ naturæ *A*ngelis esse inferiorem. Ratio secundi est: quia nullibi sufficienter, & expressè definita est hæc Veritas: licèt enim Scriptura passim *A*ngelos appellet *Spiritus*, non definit tamen, sintne Spiritus simpliciter, & ex toto, an solùm secundùm quid, & ex parte: solet enim sæpe Scriptura sumere partem pro toto, ut cùm Gen. 6. homo dicitur *Caro*, & filij Jacob Genes. 46. vocantur *Animæ*, scilicet secundùm quid, & inadæquatè. Unde etiam PP: Orthodoxi, quamvis apprimè Scripturarum gnari, docuerunt Angelos esse partim corporeos, quod certè facturi non fuissent, si oppositum contineretur expressè in Scriptura. Nec obstat Concil. Later. sub Innocentio III. capite *Firmiter*, ubi dicitur *Deus simul ab initio utramque ex nihilo condidisse creaturam, spiritualem, & corporalem Angelicam videlicet, & mundanam, & deinde hominem, quasi communem, ex spiritu & corpore constitutum.* Responderi enim potest cum Caranza, Cano Sixto Senensi, Valentia, aliisque Concilium hoc loco aliud nihil definire voluisse, quàm DEUM esse Creatorem omnium omninò creaturarum; cætera verò non animo definiendi, sed ex occasione, & juxta communiorem PP. sensum addidisse. Id, quod vel inde patet: quia complures Theologi Catholici Concilio illo posteriores, ut Evgubinus, Cajetanus, aliíq; expressè Angelos, saltem malos docuerunt esse corporeos. Ipséque D. Thomas concilio similiter posterior Quæst. 16. de malo art. 1. ait, nihil referre ad Fidei doctrinam, sive dæmones habeant corpora sibi naturaliter unita, sive non habeant. Addo nihilominus, licèt non sit ex fide certum, dari Angelos in sensu prædicto, hoc est, substantias simplices completas, omnimodè incorporeas; esse tamen probabiliter de Fide. Ratio est, quia Concilium ibi incipit ab his verbis: *Firmiter credimus, atque confitemur, &c.* adeóque indicat omnia, quæ illic subjunguntur, tradi à se, tanquam fidei dogmata. 2. Omnes aliæ propositiones ejusdem Concilij eo loco positæ, tam priores, quàm posteriores, sunt definitiones Fidei, ut omnes fatentur, imò hæc ipsa propositio supra allata, in quantum docet hominem constitutum esse ex spiritu & corpore, est similiter de Fide, secundùm omnes; cur non ergo idem dicendum de priori illius parte, in qua dicitur, triplicem à DEO conditam esse creaturam, & unam earum esse purè spiritualem, nimirum Angelos? Nec contra dicta occurrit specialis difficultas.

---

# *QUÆSTIO SECUNDA*

## *De*

# ESSENTIA *ET* ATTRIBUTIS *ANGELORUM.*

## ARTICULUS I.

### *An Angeli sint Substantiæ completæ, & omninò incorporeæ?*

*Resp. Esse. Prob. 1. pars.* Quia Scriptura, & communis usus loquitur de Angelis perinde, ac hominibus, videlicet, tanquam de suppositis integris, & naturis completis, tribuítque eis varias actiones; quæ non sunt; nisi suppositorum. 2. Quia Angelus est perfectior naturâ humanâ, juxta illud Ps. 8. *Minuisti eum* (hominem scilicet) *paulò minùs ab Angelis.* Et illud August. 11. de Civit. 15. *Angelica natura, omnia cætera, quæ DEUS condidit, naturæ dignitate præcedit*; unde etiam passim in Scriptura dicuntur adorari ab hominibus, ut Gen. 18. Jos. 5. & alibi; ergo, si homo est Substantia completa, multò magis Angelus. 3. Quia Angelus non se habet per modum Entis meré potentialis, & subjectivi, ut omnes supponunt, cùm sit perfectior homine, & consequenter creaturis cæteris; nec etiam per modum formæ incompletæ, ordinatæ ad constituendum cum alio substantiale compositum, sicut anima rationalis: tum, quia si Angelus est forma ordinata ad componendam substantiam integram, quæro, quæ